

Episcopus hujusmodi fructus amissos ob non factam fidei professionem condonare nequit, sed recurrendum est ad Sanctam Sedem pro impetranda absolute a fructuum jam perceptorum restitutione (1).

Licet omittentes fidei professionem, fructus non faciant suos, nec illis possessio suffragetur; ipsa tamen possessio suffragatur quoad titulum et proprietatem canonicatus, quoad vocem in capitulo et reliqua jura a die adeptæ possessionis, quia Concilium non loquitur nisi de privatione fructuum (2).

10. Ordinario ex officio inquirente. an fidei professio facta fuerit, canonicus vel dignitas probare tenetur, se illam fecisse (3).

§ 3. *De promissione et juramento præstando a novo canonico.*

I. In receptione novi canonici jus, præter professionem fidei, non præscribit ullam promissionem faciendam aut juramentum præstandum quoad observantiam statutorum et consuetudinum, nec quoad alia. Particularia autem statuta in certis ecclesiis præscribunt promittendam obedientiam Summo Pontifici, Episcopo, primæ dignitati et capitulo; atque declarandum, se omnia decreta Concilii Tridentini recipere; statuta capitularia, ordinationes et consuetudines servaturum, officium canonicatus adimpleturum, bona præbendæ conservaturum, secreta capituli non revelaturum, etc. et simul imponunt juramentum, quo hæc omnia confirmantur.

Joannes Molanus de canonicis lib. 1, cap. XX, anno 1585 refert, quod canonici, dum ad canonicatum admitterentur, interposito juramento, promiserint decano obedientiam, et statutorum atque consuetudinum observationem. Plures autem auctores agunt quidem de promissione et juramento quoad servanda statuta et consuetudines ac secreta capituli, non autem quoad alia præfata. Notari circa hæc possunt sequentia.

II. Promittitur et juratur obedientia Summo Pontifici, atque receptio decretorum Concilii Tridentini. Cum hæc in professione

(1) S. C. C. 1 Ap. 1786; Lucius Ferraris loco cit. n. 23 et 24; Barbosa de canonicis, cap. 17, n. 28; Reiffenstuel loco cit. n. 207 et 208; Giraldis loco cit. Soglia Instit. juris publ. et priv. § 21.

(2) Lucius Ferraris loco cit. n. 25; Reiffenstuel loco cit. n. 199; Barbosa loco cit. n. 30.

(3) Barbosa loco cit. n. 18.

fidei explicite contineantur, opus non est, ut specialiter promittantur et jurentur. Optandum vero foret, ut, sicut iterum atque iterum declaratur, decreta Concilii Tridentini recipi, sic etiam servarentur, ne, ut non semel accidit, quod verbis admittitur, factis negetur.

2º Promittitur obedientia Episcopo. Omnes sacerdotes in ordinatione sua Episcopo obedientiam solemniter promiserunt, et omnes clerici ex Ecclesiæ legibus illi obedire tenentur. Canonici tamen ecclesiæ cathedralis quandoque aliter sentire possunt et debent: dum videlicet Episcopus eorum consilium aut consensum petit; tunc ei respondere debent, non prout Episcopo placuerit, sed sicut conscientia dictaverit.

3º Obedientia decano, seu primæ dignitati aut digniori canonico promittenda aut juranda, revera nova est quæ assumitur et imponitur obligatio. Summo Pontifici et Episcopo omnes obedire tenentur; eodem autem modo decano obedientiam promittere et jurare, res bene consideranda est. Nam: 1º hæc obedientiæ promissio insolita et ita quidem ignota est, ut doctores de ea non loquantur. Tractant de voto obedientiæ religiosorum; promissionis autem obedientiæ canonicorum mentio vix invenitur. Si hæc fieri deberet, vel saltem expediret, id notarent, et de eo ex professo agerent. 2º Negotia quæ spectant ad capitulum, in conventu capitulari proponuntur, communi deliberatione examinantur, et tandem per vota majoris partis decernuntur, ita ut ultimi sicut et primi et dignioris canonici votum ejusdem sit valoris. Hæc vota omnino libera esse debent; si enim decanus aliave dignitas auctoritate sua in ea influere posset, capituli status et natura mutarentur et destruerentur. 3º Officia, munera et onera capituli per leges Ecclesiæ, per statuta propria vel laudabiles consuetudines determinata sunt; et si quid novum aut extraordinarium agendum occurrat, hoc non per decanum injungendum est, sed communibus votis per capitulum decidendum est. 4º Dicendum non est, plura non determinata, communia et quotidiana occurrere, et, si non sit qui auctoritatem habeat, hæc sæpius difficultatem movere. Idcirco enim non magis oportet, decano seu primæ dignitati obedientiam promittere in ecclesiis cathedralibus, quam parochio in majoribus ecclesiis parochialibus, in quibus plures habentur viceparochi, vicarii, capellani aliique ecclesiastici, et qui, licet similia quotidie occurrant, nullatenus adiguntur ad parochio obedientiam promittendam atque jurandam. Quibus omnibus bene

consideratis iudicium de obedientiae promissione in capitulo cathedrali, aliis faciendum relinquo. Si equidem fiat, decani tamen seu primae dignitatis auctoritas se tantum extendere potest ad ea quae pertinent ad rationem hujus superioritatis, ad ea quae libertatem capituli non laedunt, ejusque statutis contraria non sunt, et, ut cap. VIII, § 2, ad III dicitur, dumtaxat ad licita, possibilia, et ecclesiasticae libertati aut decretis Concilii Tridentini non obviantia.

4° Circa obedientiam capitulo promittendam eadem fere dicenda et notanda sunt ac de obedientia primae dignitati praestanda. Quod major pars capituli statuit, ab omnibus admittendum est, et hoc tamen non obstante, minori parti et etiam uni canonico licet contradicere et ad superiorem appellare, ut dicitur cap. XXXII, § 24, n. VII, et § 25, n. III.

5° De promissione et juramento quoad observantiam statutorum, consuetudinum et ordinationum capitularium notanda sunt quae dicuntur cap. XXXI, § 6; hic tantum animadvertendum est, novos canonicos ad hoc juramentum admittendos non esse sine notitia et tanquam pro forma, sed instruendos esse, ut probe sciant, quid promittant et jurent, ne errore peccent.

6° Officium canonicatus canonici ex debito munere adimplere tenentur, num autem praeterea expediat, hoc specialiter promittere et jurare, non faciliter dicendum, sed bene considerandum est.

7° Quoad promissionem bona praebendae conservandi observandum est, cum omnia bona ecclesiastica in revolutione Gallicana confiscata sint, vix ulla bona praebendae, praeter pensionem a gubernio solvendam, in his regionibus inveniri, et periculum igitur dissipationis timendum non esse.

8° De secretis capituli servandis vid. cap. XXXII, § 40, ad XIV.

§ 4. De expensis et solutionibus faciendis a novis canonicis.

1. In admissione ad possessionem canonicatus aut praebendae, vel ad distributiones quotidianas, sunt prohibita certae conditiones seu deductiones ex fructibus, solutiones, promissiones, compensationesque illicitae. Haec quum sancta Synodus Tridentina sess. XXIV, cap. XIV de reform. detestetur, mandat Episcopis, ut, quaecumque hujusmodi in usus pios non convertuntur, fieri non permittant, non obstantibus quibuscumque statutis, constitutionibus et con-

suetudinibus. Vid. Constit. S. Pii V *Durum nimis* 31 Maji 1570, et Innocentii XII, *Ecclesiae* 22 Sept. 1695.

2. A novis igitur canonicis nihil exigi potest, quod cedit in utilitatem canonicorum, etsi convertatur et applicetur ad solvenda debita capituli, ad restauranda illius praedia aliave onera sustinenda (1). Item dulciaria multa sunt de genere prohibitorum a Concilio Tridentino (2). Quinimo reprobantur convivia et prandia in canonicorum admissione, nisi forte tolerari possint ob consuetudinem immemorabilem, dummodo sponte offerantur, et moderatae frugalitatis leges serventur (3).

Nulla etiam salaria solvenda sunt canonicis pro examine litterarum et qualitatum, neque notariis, cursoribus, campanariis aliisque ecclesiae ministris, eo quod canonici officium suum ea in re praestare teneantur, et ecclesiae ministris alia constituta sint salaria. Et licet aliqui auctores putent, tolerari posse consuetudinem modicum accipiendi, fatentur tamen tutius esse, ab eo etiam abstinere (4).

3. A novis autem canonicis exigi potest juxta Concilium Tridentinum, quod cedit in usum fabricae, in utilitatem ecclesiae et in usus pios, modo haec consuetudo ante Concilium Tridentinum inducta fuerit, et solutio non excedat valorem fructuum, qui ex praebenda canonicali sex mensium spatio proveniunt; et si postea inducta vel tale statutum deinde a capitulo factum fuerit, Sedis Apostolicae licentia accesserit (5). Notari potest, nomine fabricae intelligi aedificii structuram et reparationem, ornamenta aliaque ad divinum servitium necessaria (6).

Licita etiam est consuetudo, non obstante Concilio Tridentino, ut fructus primi anni reserventur haeredibus defuncti (7).

(1) Pallottini, *Canonicatus*, § V, n. 253 et seqq.; Louvrex dissertat. 2, n. 63; Barbosa de canonicis, cap. 15, n. 26 et seqq.; Lucius Ferraris *Canonicatus*, art. 2, n. 36.

(2) S. Pius V in citata constit.; Barbosa loco cit. n. 27; Lucius Ferraris loco cit. n. 33.

(3) Bened. XIV de Syn. lib. XI, cap. 6 in fine.

(4) S. C. C. in una Segobien. 11 Jul. 1590; Barbosa loco cit. n. 30; Louvrex loco cit. n. 67-69; Scarfantonus lib. IV, tit. XIV, n. 7.

(5) Bened. XIV de Syn. loco cit.; Pallottini, *Canonicatus*, § V, n. 261 et seqq. *Canonici* § III, n. 177 et seqq. n. 205 et seqq.; Louvrex loco cit. n. 62-66; Barbosa loco cit. n. 29.

(6) Louvrex ibidem n. 81; Scarfantonus lib. IV, tit. V, animadv. 7 et seq.

(7) Benedictus XIV, de Synodo lib. XII, cap. VII, n. 3; Barbosa ibidem n. 31; Louvrex n. 71 et seqq.; Pallottini *Canonici*, § III, n. 184 et seq.

4. Concilium Tridentinum sess. 24, cap. 14 de reform. eos qui adversus hæc, in præsentis decreto comprehensa, quavis ratione commiserint, pœnis contra simoniacos editis sacris canonibus, et variis summorum Pontificum constitutionibus, quas omnes innovat, teneri decernit. S. Pius V Constit. *Durum nimis* 31 Maji 1570 declarat Episcopos contrahere suspensionem, capitula et collegia subjacere interdicto, et singulares personas incurrere excommunicationem Papæ reservatam. Item Innocentius XIII Constit. *Ecclesiæ* 22 Sept. 1695 adjungit pœnas ipso facto incurrendas, privationis dignitatum, canonicatum, præbendarum aliorumque beneficiorum ecclesiasticorum. An et quousque hæc censuræ subsistant, inquirendum est ex Constitutione Pii IX *Apostolicæ Sedis* Quarto Idus Octobris 1869, qua censuræ latæ sententiæ limitantur.

5. Quamvis igitur pro admissione ad canonicatum modo dicto nihil exigendum sit, et quamvis lex generalis etiam existat, ut beneficia sine diminutione conferantur; ex invecata tamen consuetudine Episcopus in collatione beneficiorum pensiones imponere potest. Episcopus auctoritate ordinaria pensiones perpetuas generaliter imponere non valet, obstante præfato principio, ut beneficia sine diminutione conferantur; ideoque pensiones considerari non possunt tanquam onera realia beneficio imposita, sed tanquam onera personalia imposita beneficiario. Regula etiam firma esse debet, ut pensio non imponatur beneficiario, cujus beneficium ad honestam tantum sustentationem sufficit, sed solis beneficiariis, qui pinguioribus gaudent beneficiis, ut indigentibus aliisque ecclesiæ optime meritis ministris subveniatur ex superfluis aliorum beneficiorum redditibus (1). Canonicus, cui in collatione canonicatus pensio solvenda imposita est, eam in conscientia solvere tenetur.

CAPUT V.

DE INAMOVIBILITATE ET DIMISSIONE CANONICORUM.

I. Canonici sunt perpetui et inamovibiles : canonicatus enim est beneficium, et beneficium est perpetuum (2). Unde inviti remo-

(1) Vid. Acta S. Sedis, 1868-1870, vol. IV, fol. 76 et vol. V, fol. 172.

(2) Fagnanus in I p. Decretal. de rescriptis c. *Ad audientiam*, n. 98; Reiffenstuel lib. III, tit. V, n. 9; Pyrrhus Corradus, *Praxis benef.* lib. I, cap. VI, n. 261; J. Devoti, *Instit. canon.* lib. 2, tit. XIV, § IV; Craisson, *Man. jur. can.* n. 551.

veri et canonicatu privari nequeunt, nisi servato juris ordine et juxta sacrorum canonum constitutiones, uti statuit Concilium Tridentinum sess. XXI, cap. VI de reform. et sess. XXIV, cap. XII, de reform. (1).

Num autem canonici honorarii sint perpetui et inamovibiles, Sacræ Rituum Congregationi expositum fuit 11 Septembris 1847 in *Valentin.* videlicet « Episcopos nonnullis sacerdotibus optime meritis indulgere facultatem gestandi eadem insignia, quibus canonici cathedralium decorantur, eosque canonicos honorarios decernere. Hi autem sacerdotes etsi præbendam non consequantur, nec actis capitularibus interveniant, jus tamen habent personaliter choro interessendi, quoties illis arriserit, et sedendi post canonicos titulares. Utrum nec ne sola voluntas Episcopi satis esset ad interdicenda prælaudata insignia, quando gravis ratio adesset judicio ipsius relinquenda, an potius quæstio ad forum esset trahenda? Sacra Congregatio, coadunata ordinariis in comitiis, audita super expositis plena relatione a Secretario facta, maturo ac diligenti examine adhibito, satius duxit rescribere : *Scribatur particulariter Episcopo juxta mentem,* quam quæstionem de jure dirimere. Quamvis enim, et hæc fuit Sacræ Congregationis mens, nulli dubium sit, atque in ipso jure fundatum, Episcopos ex se indignos posse ab honoribus, quos contulerint, repellere; quum tamen expoliatio hujusmodi quasi mortem civilem importet, et quamdam infamiæ notam sacerdoti inurat cum non minori certe populi scandalo, propterea Amplitudo Tua curet ad hæc non devenire, nisi quando sacerdotis indigna conversatio exigat, ut contra illam de more procedere necesse sit ad majora scandala prævenienda. » Licet igitur canonicorum honorariorum positio quamdam habeat inamovibilitatem, et sine gravi causa honor semel collatus eis auferri nequeat; Episcopus tamen ex gravi ratione simplici decreto canonicum honorarium revocare, et a canonicatu privare potest, prout quoad canonicum, de quo agit rescriptum S. R. C. factum esse refert Craisson n. 2245 (2).

II. Licet canonicus sit inamovibilis, quilibet tamen in manus legitimi superioris ex juxta causa renuntiare potest. Renuntiatio, resignatio, cessio, dimissio inter se confunduntur, et unum pro alio

(1) Craisson loco cit.

(2) De Angelis, *Prælect. jur. can.* lib. III, tit. VIII, n. 3.